

1971

Mgr Moysés Alves de Pinho archevêque de Luanda
— (22-1-1941)

António Brásio

Follow this and additional works at: <https://dsc.duq.edu/angolavol5>

Recommended Citation

Brásio, A. (Ed.). (1971). Mgr Moysés Alves de Pinho archevêque de Luanda. In *Angola: 1904-1967*. Pittsburgh, PA: Duquesne University Press.

This 1941 is brought to you for free and open access by the Spiritana Monumenta Historica at Duquesne Scholarship Collection. It has been accepted for inclusion in Angola:1904-1967 by an authorized administrator of Duquesne Scholarship Collection.

MGR MOYSÉS ALVES DE PINHO
ARCHEVÊQUE DE LUANDA

(22-I-1941)

SOMMAIRE — *Mgr Moysés Alves de Pinho, évêque d'Angola et Congo, est nommé archevêque de Luanda et évêque de S. Tomé «ad personam».*

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Moysi Alves de Pinho, hactenus Episcopo Angolensi et Congensi, electo Archiepiscopo Luandensi et Episcopo S. Thomae in Insula, salutem et apostolicam benedictionem. //

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe supremi apostolatus officium, quo universo christiano orbi praesidemus, onus Nobis imponit diligentissime curandi, ut Ecclesiis omniguis tales praeficiantur Antistites, qui sibi creditum dominicum gregem salubriter pascere, regere et gubernare sciant ac valeant. //

Quum itaque metropolitana Ecclesia Luandensis, apostolicis sub plumbo Litteris *Sollemnibus Conventionibus*, superiore anno, die quarta Septembris mensis, a Nobis erecta ⁽¹⁾ cui ad ejus Archiepiscopi personam unita est dioecesis S. Thomae in Insula, suo sit nunc providenda Pastore, Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Tibi eam concedere statuimus. //

(1) Vid. document de cette date.

Apostolicae igitur Nostrae potestatis plenitudine Te, hactenus Episcopum Dioecesis Angolensis et Congensis, iidem praefatis Litteris a Nobis suppressae, ad Metropolitanam Ecclesiam illam Luandensem eligimus eique Archiepiscopum praeficimus et constituimus simulque Episcopum S. Thomae in Insula renuciamus et earumdum Ecclesiarum curam, regimen et administrationem tum in spiritualibus tum in temporalibus Tibi plenarie committimus, una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus pastorali huic officio inhaerentibus. //

Volumus vero ut, ceteris quoque impletis de iure servandis, antequam Archidioecesis et Dioecesis Tibi creditarum canonicam capias possessionem, in manibus alicuius quem malueris catholicis Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem et praescriptum fidelitatis iuramentum iuxta statutas formulas emittere, harumque exemplaria, Tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad S. Congregationem Consistorialem quantocius transmittere omnino teneris. Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini Tibi assistente propitia, Ecclesiae Luandensis et S. Thomae in Insula per Tuam Postoralem industriam et indefessum studium regantur utiliter, ac maiora in dies in spiritualibus ac temporalibus suscipiant incrementa. //

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo primo, die duodevicesima mensis Ianuarii, Pontificatus Nostri anno secundo, — A. L.

Aloys. Card Maglione

A secretis Status

Alfonsus Carinci, Prot. Ap.

Franciscus Hannibal Ferreti, Prot. Ap.

Can. Alfridus Liberati

Canc. Apost. Adiutor a studiis.

«Expedita» die prima mensis Februarii anno secundo.».

Alfridus Marini, Plumbator

Reg. in Canc. Ap. vol. LXIV, n.º 50.

Aloisius Trussardi.

A:AL — *Document original.*

BGCSSp, 1939-1946 (XXVII), p. 169.